

parochi et testium, præter inhabilitatem ad sic contrahendum, est gravis, arbitraria, ab Episcopo infligenda: ita jubet Trid. S. 24. c. 4 de refor.; gravior autem erit pœna, si tale matrimonium de se invalidum consummatum est, cum et gravius sit delictum. In quibusdam diœcesibus statuitur pœna excommunicationis, ut melior hujus decreti observantia habeatur.

2.º Pœna parochi assistentis matrimonio sine præmissis denuntiationibus, extra casum dispensationis, est:—I. Suspendio triennalis ab officio, vel alia gravior pro qualitate delicti (c. fin. §. fin. h. t.) Est autem ferendæ sententiæ ob verbum *suspendatur*, neque privat fructibus, cum tantum sit ab officio et non beneficio. Hæc pœna pro casu, quo omissæ sunt denuntiationes, adhuc hodie durat, cum non reperitur à Trid. correctæ.—II. Parochus, vel de ejus licentia alius sacerdos assistens matrimonio clandestino ob defectum testium duorum vel trium, subjacet arbitrariæ pœnæ ab Episcopo infligendæ ex Trid. S. 24. c. 4 de refor. matr., ubi etiam tali pœnæ subjiciuntur testes sine parochi interessentes matrimonio. In hoc autem casu non habet locum triennalis suspensio lata cit. c. fin. h. t., tum quia hoc cap. loquitur de sacerdotibus copulantibus sine denuntiationibus, tum quia, licet idem cap. procederet de copulantibus sine numero testium, tamen pœna triennalis suspensionis à Trid. commutata est in pœnam arbitrariam; siquidem nova pœna novæ materiæ et novo delicto apposita tollit pœnam priorem alteri materiæ et delicto appositam; sed hic nova pœna apponitur novæ materiæ et novo delicto; nam ante Trid. tale matrimonium valuit; post illud non valet; ergo.

3.º Sacerdos secularis vel regularis, qui sine licentia proprii parochi ausus fuerit conjugere sponso, vel eorum nuptias benedicere, incurrit ipso jure suspensionem tamdiu, quamdiu ab Ordinario illius parochi absolutionem non obtinuerit (Trid. cit. S. 24. c. 4 de refor. matr. ibi: *Quod si quis parochus.*) Videtur autem suspensio ista ferri, non ut pura censura et pœna medicinalis, sed ut pœna vindicativa prioris delicti, cum ejus absolutio relicta sit arbitrio Episcopi.—Sacerdos alienus ex simplicitate vel ignorantia, etiam crassa, modò non sit supina et affectata, ita assistens matrimonio, non incurrit dictam suspensionem à Trid. latam: ita Sanchez, Barbos. et alii. Nam Trid. loquitur de sacerdote præsumptuosè et temerariè assistente, ut patet ex verbo *ausus fuerit*, quod temerariam audaciam et præsumptionem significat; l. 7 si quis in tantam pervenerit audaciam C. unde vi. Auth. habita C. ne filius pro patre: ibi: *Ut nullus de cetero tam audax inveniatur etc.*; sed qui assistit ex simplicitate et ignorantia modicum crassa, non assistit præsumptuosè et temerariè; nam adhuc ignoranter facit et non scienter, quod requiritur ad præsumptionem et temeritatem; ergo non incurrit istam suspensionem. An verò sacerdos temerè vel ignoranter assistat, in foro externo colligi debet ex circumstantiis.

Dices: Ignorantia juris, præsertim notorii, ut hic, non excusat sacerdotem, ex reg. 43. in 6.; quia sacerdotis est scire sacros canones c. 4. d. 38.)

R. Licet aliqualis culpa sit in sacerdote ignorare Sac. Canones,

tamen ignorantia ista, cum non faciat illum contumacem, excusat à censura suspensionis, uti etiam à pœna vindicativa, si ad hanc incurrendam jus prærequirat audaciam et temeritatem.

4.º Sacerdos regularis præsumens sine licentia proprii parochi solemnizare matrimonia, præter suspensionem à Triden. latam, non incurrit excommunicationem latam in Clem. 1 de privil.; ita fertur declarasse S. Congr.; oppositum tamen tenet Sanch., Navar. et alii. Prob. Excommunicatio lata in Clem. cit. locum habet, dum regularis assistit matrimonio clandestino valido, ex quo olim multa incommoda sequebantur, testante Trid. S. 24. c. 4 pr. de refor. matr.; ergo cum pœnæ non sint laxandæ, pœna ista extendi non debet ad casum diversum, dum regularis assistit matrimonio clandestino hodie invito, ex quo tot mala non sequuntur. Præterea hic nova est materia, novum delictum, et novum jus Trident.; ergo etiam nova est pœna suspensionis, per quam antiquata est pœna anterior excommunicationis, alteri delicto constituta.

Dices: Tunc pœna posterior mitior corrigit priorem severiorem, quando venit infligenda ministerio judicis, non quando utraque ipso jure incurrenda statuitur, ut tenet frequens DD. opinio; sed hic utraque pœna excommunicationis et suspensionis incurritur ipso jure; ergo posterior non tollit priorem.

R. Omissa illa opinione, D. M. Si pœna posterior feratur super eadem materia, eodemque delicto, Tr. M. Si super diversa materia et diverso delicto, N. M. Aliud autem fuit olim, aliud est hodie assistere matrimonio clandestino; et ideo alia dispositio, alia pœna.

47. Q. X. An Episcopus absolvere possit parochum, vel alium sacerdotem à suspensione lata in c. fin. §. fin. h. t.?

R. Sanchez lib. 3 de matr. disp. 49. n. 2 ait, hoc tempus trienne posse ex causa justâ augeri vel minui; et disp. 52. n. 2. ait: Episcopum non posse ab hac suspensione absolvere, pro qua sententia plures DD. citat. Sed probabilius:

Affirmativè: ita Host., J. Andr., Præpos., et alii. Nam tempus triennii committitur arbitrio Episcopi, ut illud laxare vel stringere possit, ut fertur Sanchez et alii (arg. c. 3 de appell.); ergo etiam in arbitrio ejus est ex justa causa absolvere ante triennium, cum regulariter ejusdem sit in solvendo, cujus erat in ligando arbitrium: tum quia à censura non reservata Episcopus potest absolvere per tritum c. 29 de sent. excom. ibi: *Quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*; sed suspensio triennalis cit. c. fin. statuta non reservatur Papæ; ergo.

Dices: Pœna in tempus definitum lata à Conc. gener. nequit ab Episcopo tolli, cum iste sit inferior Conc. et jure comm.; ergo.

R. D. A. Si tempus istud non relinquatur arbitrio Episcopi, vel si pœna sit reservata, C. A. Secus, N. A.